

Theodoricus Turrisanus, Ianetus Manetus; Leo Albertus & Paullus Mathematici; Dantes Aligerus, Poëta. Egregie quoque solum hoc suum natale decorarunt Guido Cavalcantes; Colutius Salutatus; Leonardus Datus; Donatus Accievolus, qui vitas Hannibalis & Demetrii ex Plutarcho Latinas fecit, Commentariaque reliquit in Aristotelis Ethica; Mathæus Palmerius, qui Supplementum Temporum Eusebio addidit, libris etiam de Civili Vita quatuor conscriptis; Lupus Castilioni- us, qui Vitas aliquot Plutarchi in Latinum ser- monem vertit; Nicolaus Nicolius; Pallas Stroza; Angelus Accievolus; Andreas Floccus; Christophorus Lan- dinus, qui Dantis Comœdias Virgiliumque il- lustravit; Facius Vbertus, Geographus & Poëta, Dictamundi Auctor; Ioannes Karolus, qui clarorum Ordinis Prædicatorii virorum vitas con- didit; Marsilius Ficinus, qui Platonem fecit Lati- num; Alamanus Rinucinus, qui Philostratum de vita Apollonii Tyanei in Latinam vertit lin- guam; Petrus Crinitus, librorum de Honestâ Vo- luptate Pater; Bartholemaus Scala; Zenobius Accie- volus, qui Iustinum Martyrem & alios Latine dedit; Lippus Rainutius; Benivenus; Nicolaus Machia- vellus. Longissime extra Italiam Florentiæ nomen extulit Americus Vespucius, Cosmographus, qui in- ventæ Quartæ Terrarum Orbis parti nomen ab se imposuit Americæ. Florentinus fuit & Accursius, stupendus Iuris Cæsarei enarrator, qui si melio- rum litterarum cognitionem habuisset, Mira- culum proculdubio fuisset Naturæ: Filium ha- buit ille Franciscum, I C. etiam eximium. Con- censendus his aliisque Laurentius Rudolphus, qui tractatum de jure scripsit. Pictores insignes, quorum princeps fuit Iorus, Artis reductor, de- functus anno c19 ccc xxxvi, & ad B. Mariæ Novellæ situs, silentio prætereo. Neque com- memorabo cum alios artifices, tum qui Opti- ces arte patriam suam nobilitarunt. Non deni- que inhærebo recensendis iis, qui vel externa rexerunt imperia, vel virtute militari fuerunt admirabiles. Florentiam porro describunt su- Scriptores. isque delineant coloribus, præter Leandrum Al- bertum, qui amplissime, Iovius Pontanus libro Historiarum 1, Aeneas Silvius de Rebus gestis Friderici III, Natalis Comes lib. Histor. xxix, Flavius Blondus, & alii. Exstant in eandem va- riorum Elogia versibus scripta, Iulii Cæsaris Scaligeri, Petri Angelii Bargæi, Georgii Fabri- cii, Nathanis Chytræi, Nicolai Reusneri, & quorum non? Meretur enim omnium omnino Ingeniorum Laudes & Encomia Vrbs Floren- tissima.

Pisa.

Tertio à littore lapide sita est vetustissimæ originis urbs PISA. Conditam volunt alii à Pi- sis Alpæis Pelasgis, alii antè bellum Trojanum à Pelope Pisifque sive Arintanis, Græca gente, quos à Pisa Arcadiæ oppido, per quod Alpheus amnis labitur, cognominatos ferunt Alpheos. Inde Pisæ Virgilio Alphea dicuntur. Strabo ab iis Pisanis conditam affirmat qui ex Pelopon-

neso cum Nestore ad bellum Trojanum profe- cti, quum exciso Ilio domum redirent, errori- bus acti per maria, partim Metapontum, par- tim Tyrrhenum littus tenuerunt, Pylii omnes dicti. Incolæ singulari valent memoria, quod Incolæ. Situs. urbs crassiore fruatur aëre. Iacet, ut Strabo Pli- niusque notant, inter Auferem & Arnum. Eam ita describit Rutilius:

Alphea veterem quis nescit originis urbem,
Quam cingunt geminis Arnus & Aufer aquis?
Conum Pyramidis coeuntia flumina ducunt,
Intratur modico frons patefacto solo.
Sed proprium retinet communi in gurgite nomen,
Et pontem solus scilicet Arnus adit.
Antè diu quam Trojugenas fortuna penates
Laurentinorum regibus insereret:
Elide deductas suscepit Etruria Pisas,
Nominis indicio testificata genus.

Hodiè Arnus eam interfecat tribus insigni- bus pontibus: Spina, fornicum quatuor: Vetere, trium: Maris, quinque. Verustatem ejus & no- bilitatem celebrat Dionys. Halic. lib. 1. Scri- bit Strabo eam navigationem à mari adversam habere stadiorum xx. Civitatem quondam fe- licem & beatam fuisse; nec suo tempore vel ignobilem vel obscuram propter frugum copi- am, faxorum opera, navalem materiam, & in- ter Etruscos belli gloria præcelluisse, Ligurum- que finitimorum cotem veluti fuisse & irrita- mentum. De ea sic Benjaminus in Itinerario: *Distant à Genua Pise duorum dierum itinere, ingens urbs, in cujus domibus ferè decem mille turres numeran- tur ad pugnandum aptæ & instructæ, si quando disidi- um aut pugnae necessitas existat. Cives ipsi omnes strenui, neque Regi, neque Principi alicui parentes, sed Ma- gistratui ab ipsis creato. Vixit hic Benjaminus antè quadringentos circiter & quinquaginta annos. Eam Nathan Chytræus his versibus ce- lebrat:*

Antiqui splendoris adhuc monumenta supersunt
Inchyta: marmoreis fulgentia recta columnis:
Turris & inclinata foris, minitansque ruinam
Pendula, recta intus, si videris, area longa,
Gloria Romani Decius qua maxima juris
Conditus est, ubi vicentis & quatuor horis
Corpora consumi memorant his obruta terris:
Quin Nicodeme tui monstrant monumenta sepul-
chri.

Quæ à Pisanis gesta, stantibus adhuc Roma- Res. Epit. norum rebus, commemorant cum alii, tum Li- vius lib. 2, 3, 4, 21. quæ verò cum Imperio de- clinante, annisque nuper lapsis, quamque mari terraque, subjugatis Sardinia, Carthagine, Pa- normo, Salerno, fuerint potentes, docent Leo- nardus Aretinus, Blondus, Sabellicus, Plati- ni, Volaterranus, aliique. Clade à Genuensibus ad Lamellum illata, adeo fuerunt fracti, ut post reficere se viresque recuperare pristinas nunquam potuerint. Libertatem, quam initio semper habuerant, tutati sunt ad annum usque c10 ccxxvi 11, quo patriam tyrannide invasit- cum no-